

## PRAEFATIO AD LECTOREM.

thea Preteganis habere nugatur, scripsit; tantum et Alexandrum M. indagandi Animalium per Aristotelem natura, sumptum, ut summa ad plura talenta excreverit; tantum et praeterito seculo Franciscum I. Gallorum Regem, ut *Gyllium* et *Bellonium*, viros eruditissimos, et quorum quaedam in hac materia scripta extant, in remotas Europae partes, quin Asiam et Africam miserit. Hujus etiam sine dubio admiratione factum, quod praeter Reges et Principes, praecipui Philosophi in eam inquisiverint, et posteritati commendarint. Habemus praeter eos, quos in Bibliothecis, Alexandrina, Constantinopolitana, Pergamensi, et aliis periisse dolemus; quique forte adhuc cum blattis et tineis conflicantur, inter veteres Geographos Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem, Aelianum, Oppianum, Columellam, Varronem, Palladium, etc. et qui omnium instar est Plinium, cuius Solinus simia appellatur; inter recentiores, Gesnerum Germaniae Plinium, Aldrovandum, Wottonum, Turnerum, Mouffetum, Agri-colam, Boërium, Baccium, Ruveum, Schonfeldium, Freygium, Mathiolum, Tabernomontanum, Bauhinum Ximenem, Bustamantium, Rondeletium, Bellonium, Caesium, Thevetum, Marggravium, Pisonem, ab Horto, etc. et qui utriusque Indiae Navigationes scripsere. Hinc fit, ut saepe mirari soleam, quod nullam huic Historiae in Academiis, Bononiensem si excipias (in Wittenbergensi quoque eam coepit urgere Cl. Sperlingius) Professionem assignatam videam: et malimus saepe inter quaestiones de generalibus motis consenescere, nulli vitae generi prompti, quam naturae abdita scrutari, quae omni inserviunt. Et tantum de Historia naturali. *De labore* meo haec paucis habe. Totam me naturalem historiam pertexere constituisse, si mihi ad tantas curas Deus vitam producere voluerit, eamque ex vastis illis tam recentium quam antiquorum, Plinii in primis, Aristotelis, Oppiani, Gesneri et Aldrovandi, voluminibus excerptam, et brevioribus gyris inclusam, ut te quasi scripta introducerem: illa praecipue quae ad naturalium cognitionem spectant, omissis aliis attingere, ne te distraham: ordinem qui mihi videtur commodissimus sequi, ut memoria tua juvetur: *Paralipomena* ex recentioribus illis in primis qui Indic nobis dedere, addidisse, ne quid omissum esse conqueraris: in descripti- nibus autorum ipsorum plerumque verbis uti, saepe et breviora capita inferre, ne quid fecus acceptum occurrat: Autorum loca etiam ab ipsis neglecta adiecisse, ne te ab his abduci per compendia, imagineris: Figuras et quidem elegantes ut *Chalcographus* adjiceret persuasi, ut descriptiones facilius conciperes, et impressam memoriae imaginem, specie ipse visa de- promere posses. In hoc de piscibus volume adjectos quosdam ex Schonfeldio, habebis: Liber vero quartus ex Marggravii, in cuius nimis matura morte, ingentem Resp. literaria jacturam fecit, Historia Brasiliae naturali totidem verbis de promptus est. Cur ad suas classes reduci non potuerint, dixi. His interim fruere, studiose Lector, et ad sequentes nundinas, Avium, Quadrupedum, et Aquaticorum, Exanguium, quae jam parata, Historiam expecta. Bene vale, et studiis nostris fave. Dabam Lesznae Polonorum ex Musaeo, in cureotide Nativitatis Salvatoris nostri, Anno M. DC. LI.